

Q. D. B. V.

EXCVRSIONES IN ARGVMENTA NONNVLLA
EX VTROQVE IVRE

INTER TVMVLTVARIAM LECTIÖNEM

NOVELLARVM QVARVM-
DAM IMP. LEONIS DICTI
PHILOSOPHI

INSTITVTAE

ET

EX DECRETO MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE
OBTINENDIS

AD DISPVTA NDVM PROPOSITAE

A

CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDIO

A. D. VII. SEPT. CIQ 10 CC XXXVII.

GOTTINGAE,
APVD J. C. L. SCHVLTZIVM,
ACAD. TYPOGR.

ALB. V. 10. 1. 1. 1. 1. 1.
SCHLICHTER
M. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
K. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
B. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
H. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
T. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
C. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

NATAE BONIS AVSPICIS
GEORGIAE AVGVSTAE
CIVIBVS DELICHS DECORIBVS
INCLVTIS ET SPLENDIDISSIMIS
ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS
AC DOMINIS

DOMINO

HENRICO ERNESTO

S. R. I. COMITI DE STOLBERG, KOENIGSTEIN, RVPEFORTI, WERNIGERODA ET HOHENSTEIN, DYNASTAE DE EPSTEIN, MVNZENBERG, BREVBERG, AGIMONTIO, LOHRA ET KLETTERNBERG. &c.

DOMINO

FERDINANDO CASIMIRO

S. R. I. COMITI DE YSENBURG ET BVDINGEN. &c.

DOMINO

ALBERTO AVGVSTO

S. R. I. COMITI DE YSENBURG ET BVDINGEN &c.

DOMINO

GVILIELMO REINHARDO

S. R. I. COMITI DE YSENBURG ET BVDINGEN &c.



DOMINO

LVDOVICO BERNHARDO

S. R. I. COMITI HENKEL LIBERO BARONI DE DONNERSMARK, DYNASTAE INCLUTARVM ET RESPECTIVE LIBERAE INTER STATVS SILESIOS DYNASTIARVM DE BEVTHEN, TARNOWIZ ET ODERBERG, DOMINO DE GFOELL ET WESENDORFF. &c.

DOMINO

HENRICO XI. RVTHENO

S. R. I. COMITI AC DOMINO PLAVIAE, DYNASTAE DE GRAIZ, CRANNICHELD, GERA, SCHLAIZ ET LOBENSTEIN. &c.

DOMINO

PHILIPPO ERNESTO

S. R. I. COMITI ET NOBILI DOMINO DE SCHAVMBVRG, LIPPE ET STERNBERG. &c.

DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS

ET AETERNA PIETATE COLENDIS
PRO GRATIOSA EORVM ERGA ME VOLVNTATE
HAS THESES INAVGVRALES
IN SIGNVM ANIMI DEVOTISSIMI

D. D. D.

GALTELMO REINHARDO

D. CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEID,

Vt dissertationem hanc inauguralem, vilissimum
& nullius in se pretii opus, VOBIS, ILLV-
STRISSIMI COMITES, consecrem, quam pluri-
mae tum aliis mecum communes, tum mihi pro-
priae caussae animum meum impulerunt. Poco
enim, sub quo iam pridem sudare cooperat, cum
liberari non potuerit, nisi his ipsis festiis lubentiae
diebus, quibus solemni ritu caeremoniisque dicata
fuit nostra haec GEORGIA AVGSTA, regia AV-
GVSTISSIMI PARENTIS SVI munificentia vere
augusta reddit, quid quaeo tempori aptius, mihi
honorificentius, & Academiae ipsi gratius a me su-
scipi potuisset, quam vt ex ILLVSTRISSIMIS VE-
STRIS NOMINIBVS, quae non vltimam huius Par-
nassiae rupis laudem, decus, gloriam hodie con-
ficiunt, chartis hisce splendorem conciliem? Vidi-
mus inter tot lactitiae accessiones, atque felicitatis
nostrae incrementa, illud omnium virtutum, quot
& quantas humana natura recipere, aut industria
perficere potest, exemplum omnibus suis numeris
absolutissimum, ILLVSTRISSIMVM DOMI-
NVM, DOMINVM GERLACVM ADOL-
PHVM DE MVNCHHAVSEN, togatae
militiae hoc saeculo principem excellentissimum, cu-
ius ingentibus titulis hoc vnum fortasse huc vsque
defuit, vt auctor, effector atque consecrator lit-
terariae alicuius palaestrae diceretur; et ita vidimus

VIRVM SVMMAS ORBIS ERVDITIDELICIAS,
vt, quod serra inter VESTRAS laudes numerabunt
saecula, ILLVSTR^S SIMI COMITES, morum VE-
STRORVM elegantia, et incredibili erga doctrinas
quaesuis liberales studio, quod aequa ac celsissimus
i le locus, in quo Natales VESTRI VOS collocarunt,
dudum iam in hac academia memoranda omni po-
steritati suauitate, vt flos in septis redolet, mirifice in
VESTRVM omnium amorem raptus, atque, si ex nu-
merosa tot iuuenum heroum, genere non minus,
quam propriis suis meritis illuſtrissimorum in ipsis
Vniuersitatis incunabulis praefentia veri quid diuinari
poterit, poterit autem certissime, VESTRIS virtuti-
bus securus fuerit redditus, fore omnis conditionis at-
que fortis homines, qui tot EIVS EXCELLENTIAE
curas, tot in academiam hanc collata beneficia celebra-
bunt, atque cum NOMINE EIVS ILLVSTRISSIMO
gratae posteritati et ipsi immortalitati commenda-
bunt. Enarrabitur aliquando in annalibus GEOR-
GIAE AVGVSTAE, ILLVSTRISSIMI COMITES,
vnumquemque V E S T R V M, ne quid hon-
oris nascenti huic academiae desit, in solemini
illa dedicationis panegyri partem illorum orná-
mentorū, quibus eruditae ciuitates concessam
sibi ab Imperatoribus dignitatem, ac, vt ita di-
dicam, maiestatem, more a maioribus recepto, ostendare
atque tueri solent, serico puluinari impositam
mani-

manibus suis in templum vniuersitati huic sacrandum gestasse. Legetur, quod nos auribus nostris audiuius, quanti VOS aestimet, quod pretium VESTRIS virtutibus statuat, quantum denique VOBIS, optumis suis ciuibus, iure suo glorietur atque superbiat alma academia, quod omne facundissimi oratores his diebus pluribus interpretati nobis sunt, atque in solemnibus concionibus professi, quos inter honoris caussa solos nominabo summos duumuiros, PERILLVSTREM nimirum IOANNEM PETRVM TAPPIVM, quem virum eloquentissimum si Athenae tulissent quondam, aut elata Romulidum moenia, hodie non sine multis laudibus in fastis eorum reperiremus, dignum, cui etiam Isocrates, Demosthenes, Tullius, Plinius, omnesque omnium aetatum celeberrimi rhetores adsurgant, atque ILLVSTREM BRABEVtam meum, GEORGIVM CHRISTIANVM GEBAVERVUM, illum primicerium iuris antistitem, & omnis humanioris eruditio[n]is statorem, qui cum lauream iuridicam nobis conferret, exemplo in Themidis sacrario rarissimo carmen tam castum, tam concinnum, tam elegans modulatus est, ut nesciam, an Maro vllus, vllus Ouidius, Flaccus, aut aliis, quisquis sit, Ausonius poterat melius vñquam cecinerit. Haec igitur omnia & singula si incognitus plane VOBIS essem, ILLVSTRISSIMI COMITES, insoliti aliquid audendi mentem mihi inspirare potuissent, quid ergo mi-

rum, si addiderunt eandem notissimo VOBIS, &
quod inuidiae dictum, amato a VOBIS omnibus,
ac multiplicibus & inusitatis honoris significationi-
bus supra sortem meam & qualiacumque merita
ornato, aucto, macrato? Fatebor itaque palam, &
fatebor ingenue illam animi mei erga VOS pietatem,
quam demissō haec tenus pectore seruauī, ser-
uare autem diutius non possum, quin erumpat, &
orbi patefaciat, quam vehementer, si possim, totus
VESTER esse cuperem, mancupatus nunc et-
iam VOBIS, & publicis quasi tabellis addicetus. Ac-
cedunt adhuc aliae rationes, his omnibus non le-
uiores, quae solemne hanc dedicationem mihi
suasere. Annus nunc agitur quintus, cum animi
limandi studiorumque qualiumcumque magis po-
liendorum gratia iter ad Gallos, Belgas & Helueti-
os suscepi, apud quos, ut partam eruditionis glo-
riam ciuibus nostris inuident, haut raro eruditissimi
viri sumnum illud nostratum peregrinandi
studium sic mihi in sermonibus suis obiecerunt, vt
siniatra interpretatione, quasi in patriis nostris aca-
demis sapientia omnis & studia illustrissimae: VE-
STRAE conditionis hominibus digna exularent, pe-
nes se vero, quicquid elegantiae, quicquid venustatis
animum perficit, resideret, & quaerendum es-
set vnicenter coniecerint inde, & gloriari interdum vo-
luerint. His igitur absens nunc ostendere volo, ve-
ra esse, quae tunc regesseram saepicule, nec deesse
yniuer-

vniuersitatibus nostris iuuentutis principes, nec defloruisse in illis politiores artes, & quae maiori fortunae natos iuuenes decent, scientias, quod illustriori, quam Academiae huius exemplo cum probare non possim, patimini, quaequo, ILLVSTRISSE
MI COMITES, vt VESTRA ILLVSTRISSIMA NOMINA in fronte dissertationis meae exhibeam. Vindicabitis hoc modo non solum omnium Germaniae academiarum honorem contra exterorum obtrrectationes, verum etiam, quod alterum argumenti mei caput est, euincetis exemplo VESTRO, quam falsa sint, quam impia, quae maleuolorum turba de alma nostra GEORGIA AVGSTA, quae ut fidus maius radios suos vbiique nunc emitit, haec tenus musinata est, et inuitabitis imposturum iuuenes VOBIS similes, hoc est, Heros tanta nobilitate conspicuos, ut veniant ad limina nostra, & limpidissimum doctrinae & sapientiae lac ex diuinae Palladis vberibus, praeceuntibus amplissimis nostris Professoribus, ad imitationem VESTRAM, heic potius, quam alibi, auido ore hauriant. Desino, ne fines epistolae excedam, in votis & precibus ardentissimis, ILLVSTRISSE COMITES. Seruet VOS DEVS GENTIBVS VESTRIS CELSISSIMIS, paternis & auitis ditionibus splendidissimis, immo vniuersae Germaniae, quae non ingratia erga indigenas suos mater atque tutrix, si quid hariolari nouit augurium meum, iam eximias quas-

uis



uis togae & sagi dignitates VOBIS VESTRISQUE
virtutibus parat atque promittit. Valete, DO-
MINI GRATIOSISSIMI, & quod agitis, gratia,
indulgentia & amore VESTRO me dignari pergi-
te. Iterum iterumque valete, O DECUS, O
PRAESIDIVM NOSTRVM! Scribebam Goettin-
gae a. d. XII. ante Kalendas Octobris Anno R.S.H.
Auctiopisioris hoc modo non loquar.

xxxvii

musique sacrae musicum sacerdotem contra exterritorum
optime hinc cibit ac, tunc cibis, dum sibi
datus fuisse vult, dum sibi, dico sibi, quae sibi
tunus de suis votis GLORIA AGASTA.
duse ac libus nunc iudiciorum aperte hunc simile
lit, largioris munimenta est, et universitas imposita
rum intercess VOBIS vultus, hoc est, Heros iusti
honi pugnare contipitos, et acutus ad firmans votis
et timbrellum do gaudiu[m] & jubicuisse sic ex di-
mire Pessas Apes, pugnantes simplicius
honeste Proletiores, ac multitudine ESTRA
votis, hinc pugnare, dum sibi, sibio ore pugnare, De-
cuso, ne fugis diligenter exceperis, in locis & le-
cibus, super iugendium, ET ASTRISIMI COMITIS
sculet VOS DEAS CANTAVAS VESTRIS CLE-
SISSEMI, pugnare, vestris dignitatis plebidiq[ue]
et gloria indecessus tuus iustitia, si dico iustitia,
is in extenuans

PRAEFATIO.

Pauca sunt, BENIVOLE LECTOR, quae praefari
huic dissertationi volui: ridiculum enim foret, opus-
culo trium paginarum longum præmittere prooemium.
Exhibeo tibi Exercitationes quasdam in Nouellas LEONIS,
leues satis et nullius, quod facile largior, pon-
deris. Sed qui nouit, quae in praesenti fortunae meae
conditione circumscribant me cottidie negotia, quot
aliae occupationes scribentem mox turbent, mox plane
auocent, etiam his vltro veniam dabit. Adest alia ra-
tio, cur, vt ex humanitatis legibus tecum agas, iure
quodam meo abs te postulare possim. Testem habeo
ILLUSTREM ICTORUM ORDINEM, quam repentine, et ve-
re tumultuarie haec omnia in chartam coniicienda mi-
hi fuerint, posteaquam vel ipsum quoque consilium de
capessenda laurea iuridica intra vnius septimanæ spati-
um et capiendum et expediendum mihi erat. Quid
vero eruditæ lucubrationis tam breui tempore emanci-
pari poterit ab homine cum primis iuuene, nec satis
otio abundante? Elegi vero Nouellas LEONIS cum
de inauguralis disputationis themate cogitare me iusse-
rat MAGNIFICUS PROMOTOR, hanc potissimum ob-
caussam, quia et faciliores de rebus pluribus instituantur
huiuscmodi excursiones, quam quidem vna con-
troversia ex regulis bonae methodi curate atque pro-
dignitate sua enodatur, et defendant ex diuersitate ar-
gumentorum, quae tractantur, maior campus aperi-
tur, quantum vtroque iure profecerit, auditoribus suis
declarandi, quamuis, vltimum hoc serio nec quaeſie-
rim ego, alienus per omnem vitam meam ab omni va-
næ gloriae aucupio, nec si vel maxime petiſsem, con-
sequi hac opella potuſsem, vbi typographis, qui qui-
dem Sic
teſtum ieiunare aſi



dem non mediocri numero in erudita hac civitate de-^a
gunt, ob eas, quae propediem nos exspectant, festiuas
inaugurationis dies, tam multiplices totque concatena-
ti fere labores fuere, ut a nemine eorum impetrare po-
tuerim, quo prelo liberata penitus tunc fuerit disser-
tatio mea, cum eruditissimorum Dominorum Oppo-
nentium incidi ex decreto ILLUSTRIS ORDINIS sub-
sidienda erat. Interim suscepit huius laboris nec ho-
die me poenitet, quin potius, quem e manibus mihi
extorsit temporis penuria, calatum propediem iterum
annuente DEO sumere et coeptam telam, si longior
mihi apud Musas habitatio forte continget, ita perte-
xere apud me constituerim, ut nulla ex his Imp. Leo-
NIS Nouellis sine peculiari exercitatione dimittratur.
De ipso auctore harum Constitutionum nil addidi, quo-
niam oratione peculiari de fatis Iuris prudentiae post Ju-
stinianum huic actui disputatione more consueto præ-
missa ea omnia congeseram, et explanaueram, quae
de Imperatoris huius vita ad legum eiusdem intelligentiam
lectio necessaria fore duxeram. Quod vero restat,
Tu, LECTOR, quisquis sis, HUMANISSIME, dis-
sertationem eo tempore exaratas, quo de solemnis
academiam dicandi ritibus occupati fuere Patres Am-
plissimi, non prius, quae se, e manibus deponas, quam
natae bonis auspiciis ornatisimae Musarum sedi, o-
mnibusque qui de ornanda ea amplificandaque feliciter
huc dum laborarunt, fausta quaevis et felicia tecum
sis precatus. Vale, et, si acquisies, ex meo voto vale
rectissime, sin minus, pone triste supercilium, parum
enim ater aliorum calculus, aut nota iniquior me mouet,
qui, dum neminem offendeo, cuius libere de me me-
isque sentiendi iudicium relinquere possum, et sensu suo
quemuis obrestatorem abundare lubentissime patior.
Iterum iterumque vale.



B. C. D.

EXERCITATIO I.

OCCAS. INSCRIPT. NOV. I

§. I.

Primis Christianis nihil *ἄνευ ἐὐλογίας* agere (*a*) moris fuisse, facile nobis concedet, qui sacras noui foederis paginas curatius inspexit, & quanta erga DEVM religio pectori eorum diuini amoris incendio flagranti inhaeserit, seque in omnibus actionibus & tota vita exseruerit comprobaueritque, ex ipsius SPIRITVS SANCTI testimonio legit aut cognouit ymquam (*b*).

(*a*) Quod in pudenda hac saeculi & morum corruptione, vbi pia quaevis fordan, & fanaticismum fere redolent hominibus perditissimis, eo minus mirum nobis vel affectatum videri debet, cum rerum omnium & actionum auspiciu a prectionibus & thure Ioui oblato capiendum esse, moratiōres iam ethniči, sola natura duce, cognouerint probe, & nihil rite, nihilque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicari posse profiteri debuerint. MANLIVS apud LIVIVM L. 38. c. 48. PLINIVS SECUNDVS in Panegyr. Traiano Imp. dī. 1. 151

A 2

(*b*) Sic

EXERCITATIO. I.

(b) Sic etiam ex historia priorum saeculorum docemur, IESV CHRISTI memoriam tam gratam fuisse, tamque familiarem primis eius confessoribus, vt, cum ab obtrectoribus Christiani nominis eis obiiceretur, quod DEVM adorent in eruce extinctum, ipsi potius, vt testatum faciant, omnem suam in eruce hac salutem positam esse, *savvōv Κυριον & rebus suis gestis & facultatibus omnibus, tamquam legitimū quoddam insigne, inscribere consueuerint CAROL. DV FRESNE in gloss. ad verbum signum Christi: NICOL. NOVRRIVS in diff. ad LVCIVM CAECILIVM de mor. persecut. art. 3. p. 184. seq.* adeo, vt TERTVLIANO teste *Libr. de cor. mil. c. 3.* non frontem saltim eo signo praemunierint, verum nec vestem induerint, nec calceos prius pedibus commiserint, quam crucis signo signassent vtrumque; Immo & in instrumentis pro fide & subscriptione fuisse crucem in charta pictam *l. vlt. §. 2. C. de iure delib. & Nou. 99. prooem. infin.* doceri possumus.

§. II.

Atque haec antiqua pietas, posteaquam, vt fieri solet, magis magisque formularia facta fuit, originem, puto, cum aliis, tum praeципue consuetudini sanctonibus legalibus inuocationem diuini nominis praemitendi in cancellariis veterum Imperatorum praebuit; quemadmodum enim ex SACRAE NICAENAE SYNODI decreto omnes Christiani formatas litteras suas tribus elementis Graecis DEVM PATREM, FILIVM, ET SPirituM SANCTuM designantibus signari iussi fuerunt, ita Principes non minus religionis programmatibus suis inhaerere voluisse, & legi huic ecclesiae alligatos se profiteri maiestate sua dignum putasse, *arg. l. 4. C. de LL. & Conf. Pp.* credere non absolum erit, cum primis in re, quae & primo obtutu pietatem spiret,

raret, & legem, quasi non sine Numine scriptam, subditis magis insinuaret. Hinc itaque est, ut quicquid legum hic videmus, id omne *in nomine eius, qui uniuerso humano generi salutares leges tulit, CHRISTI, veri DEI nostri*, promulgatum a LEO NOSTRO videamus.
 (a) In quo certe, modo pio & deuoto corde id fiat, dignus est, ut non saltim nomothetae, verum homines Christiani omnes eum imitentur, quippe quibus facere omnia *en evopauit nups* Apostolus *I. ad Cor. X. 31 & ad Coloss. III. 17. praecepit.*

(a) Sane hac in re, vti alibi saepius LEO IVSTINIANUM secutus est, qui non saltim prooemio *Institutionum*, utrique constitutioni de confirmatione digestorum, quarum una ad Senatum, altera ad omnes populos directa est, nec non constitutione de ratione docendi iura ad Antecessores, & denique *L. 1. & 2. C. de Offic. Praef. Pract. Afric.* talem diuini expiatoris nostri nominis implorationem praemisit, verum etiam in aliis multis locis, ex more principibus confueto, quod DEO auctore regnet, eiusque prouidentiae & tuitioni accepta ferat omnia professus est. *vid. Constit. de Concept. ff. ad Tribonianum, & dictas Constit. de Confirm. ff.*

§. III.

Deliberato autem animo scripsimus, vero diuini Numinis sensu fieri id debere. Si enim ex sola confusione, & sine intimo pietatis affectu tale quid peragitur, quam detestandus, quaeso, & horrendus est diuini nominis abusus, quem tales non praemeditatae formulae produnt?

§. IV.

Hinc nescio fere, an in nostris, qui Christiani es-
se cu-

se cupimus, rebus publicis ferenda sit notariorum consuetudo, qui instrumenta sua, qualiacumque sint, praemissa SACRO SANCTAE TRINITATIS commemoratione confidere solent, ita quidem, ut verbi gratia de iniuriarum retorsione instrumentum conscribere iussi, impium & a Christiano nomine alienissimum facinus auctore DEO optumo maximo perpetrare non vereantur. (a) Quod vellem agnoscerent legislatores nostri, cumque tam perfecta res publica sperari nequeat, vbi boni omnes, nemo malus esset, & vel a iudice ad tabelliones usque, ultimos hominum in foro occurrentium, incorrupta morum sanctimonia pristinaque Christiani nominis simplicitate cunctorum mentes occupatas teneret religio, tali consuetudini, cum summo Numinis contemtu laepius quam arctissime coniunctae, obicem pro auctoritate sua ponerent, proprio cuiusuis pudori & conscientiae hoc pietatis studium, ad quod alias cogi nescit humanum pectus, imposterum relixerit. (b).

(a) Evidem nondum certo in scholis Theoreticorum definitum est, num inuocatione diuini nominis in instrumentis notariorum opus sit? Sunt enim haud pauci, qui illud negant, ideo forsitan, quod sit leuis solemnitas & res minimi praiejudicii, quea, quia non est fundata in aliqua urgentiatione vel utilitate, vt BALDVUS ait, omessa arg. l. 1. §. 15. ff. de inspic. ventr. culpae non imputatur, vt noceat omittenti, quos inter GIPHAN. ad pr. Inst. STRVV. de inuocat. nominis divini A. 26. inf. SCHNEIDEWIN ad pr. Inst. n. 8. ROSBACH in praxi civili T. 52. n. 3. HOPP. ad pr. Inst., aliis contra id adfirmantibus, & ad expressam constitutionem Nou. 47. C. I §. 1. glossam item, ac Rec. Imperii de A. 1512. §. und nach dem 3. protuenda sententia sua prouo-

OCCAS. INSCRIPT. NOV. I.

7

prouocantibus, quibus etiam, vt ex multis paucos sal-
tim nominem, sed bonos, BRVNNEMAN. ad pr. Inst. n. 2
& PHILIPPI in obser. ad Decis, Elect. Sax. Dec. XX. obs.
2. accessere. Nec male, si quid recte intelligimus, quia
priuato non conuenit, formam a legislatore praefcrip-
tam impune negligere, neque monente BARTOLO *conditio appesita a lege leuem solemnitatem continere intelligenda est.*
Practicus sane, qui tam verecunda cogitatione vultures il-
los togatos, & altercationes execratur, vt crabrones exci-
tare nolit, in hoc sententiarum diuortio caute agit, si
hanc formulam prius non omittit, quam ex summi prin-
cipis decreto res extra omnem controuerfiae aleam po-
fita est.

- (b) Sed inquies forte, ita derogatum iri diui Apostoli,
quod supra laudauimus, monito. Minime gentium!
nihil religio in externis quaerit, *I. ad Corinth. IV. 20.* cor
desiderat: hoc occupat, & sacrис suis scintillis inflam-
mat penitus, vbi humana petulantia non impeditur.
Externa placent hypocritis, qui nubem pro Iunone am-
plectuntur, vmbram seclantur, corpus derelinquent,
in verbis sibi placent, vim Christianismi ignorant pe-
nitus.

EXERCITATIO II.

OCCAS. PROOEM,

§. I.

Parens academie PLATO, qui quidem recte docue-
rat, non debere posteros rationem legis quaerere, sed eam,
quasi DEI vocem *S* praeceptum, obseruare, vulgo va-
pulat

EXERCITATIO II.

pulat, quod nihilominus, parum rectissimi moniti hu-
ius memor, tres legislationis partes, prooemium scilicet,
legem & sanctionem requisierit, ipsique adeo legislatori
necessitatem iniunxerit, ut, quaenam eum legem fer-
re ratio mouerit, quasi in fronte eiusdem indicet, &
subditis suis reddat cognitum. Quam ob causam re-
ete (a) iam confutatus fuit a SENECA, felicissimo illo
veteris Sapientiae alumno, cui non labra solum, sed
manus etiam ac pedes in philosophiae fontibus prolui-
se contigit, qui dudum obseruauit, *legem breuem esse
oportere, quo eo facilius ab imperitis teneatur, velut e-
missa diuinitus vox sit, & nihil videri frigidius, quam le-
gem cum prologo.*

(a) Immo rectissime! *Legis enim, vti probe MODESTI-
NVS l. 7. ff. de LL. obseruat, virtus haec est, imperare, ve-
tare, permittere, punire, non ratiocinari, suadere,
hortari, precari.* Quid quod, si IUSTINIANO credi-
mus, *quod medicamenta morbis, hoc exhibere inra negotiis,*
Nou. III. pr. vel LEONI nostro, qui eius ratiocinium
*in praesenti prooemio latius deducens, ac quasi periphra-
si illustrans leges tamquam custodes vitae nostrae & medicos*
*nobis sifit, dum mala, partim ne orientur, ac in communem vi-
tam promanent, impediunt, partim vero, quae mala occulta
sunt, insinuanturque irrepserunt, eorum noxam corrigunt, ac*
veluti radicibus vitiostatem euellunt, eamque non finunt corroborari; quis, quaeſo, nostrum tam ineptus est, vt, si vitae
ipſi periculum imminent, debilitas corporis vires &
labefactatam valetu linem non prius emendari, aut pri-
stino suo robori elanguida membra redi posse existi-
met, quam penſiculatius in virtutes omnes medica-
mentorum sibi in hoc rerum articulo ex Aesculapii pe-
nu ex-

hibitorum inquisierit, & singularum potiuncularum atque bolorum, quos ingurgitare & deuorare iubetur, vires exploratas habeat, ipsas denique caussas absconditas cur id potius, nec aliud panchrestum Hippocratis alumnus sibi obtulerit, cognoverit perfectissime & probatas deprehenderit? Nonne igitur, vti medicis sine anxo ob quam causam quidque agendum sit, examine obtemperamus, ita merito & legibus in Republica lanatis sponte & lubentes morem gerimus, quod eas ad falso luteum ciuium, ciuitatisque incolumitatem, vitamque hominum & quietem conditas esse, etiam si sine ratione nobiscum agerent, certissime persuasi & conuicti esse possumus. Atque hanc causam esse arbitramur, cur potissimum legib[us] diuinis aliam rationem admodum non videamus, quam verissimum illud: Ego IHSVM DOMINVS DEVS TVVS, quia hoc ad probandum sufficit, omnem nostram felicitatem ex religiosissima huius edicti obseruantia pendere, ita, vt fecus agendo, sibi ipse aduersus foret homo. Eundem in modum, quantum ad legum & medicamentorum similitudinem philosophatus est PYTHAGORAS, ille, si quisquam alius, sublimis maxumopere & excelsa iudicii vir, quem philosophia ipsa tamquam magistrum suum teste SALVIVIANO suspicere debet. vide IAMBlichv in vita eius.

Licet igitur hoc certissimum sit, & facile nobis largiantur omnes illi, quibus ex meliore luto finxit praecordia Titan, occludendam potius esse loquaci hominum rationi linguam, quam argumentorum lenociniis & coloribus legi aliunde quaestis de iustitia eius vel iniustitia inter se mutuo differendi ansam subditis praebendam: (a) tamen in iuris nostri corpore nihil

EXERCITATIO II.

re nihil his frequentius esse, nec legem facile ullam si-
ne praefatione occurrere fateamur necesse est.

(a) Facillimum itaque est, iudicare ex his, probe tenen-
dum esse finium regundorum iudicium inter diuersa
plane a se inuicem officia, *legislatoris & doctoris*, adde et-
iam *indicis*, quippe cui praeter legum custodiam & exe-
cutionem relictum est nihil. *Legislator* enim caussam
praeceptorum suorum pro ratione status vel plane non
indicat, vel, quod in iure nostro inuitatum non est, cal-
lide interdum dissimulat, aliamque pro vera substituit;
Iurisconsultus vero in interpretandis adplicandisque le-
gibus omnia cum cura & diligentia rimatur, & quan-
tum sine reipublicae dispendio, & salua legis latoris au-
ctoritate fieri potest, in ipsis arcanae & absconditas ra-
tiones, quibus ad legem talem sanciendam induci forsi-
tan potuit princeps, penetrat, nec, si quid simulete
ab auctore legis dictum, eo sibi facile illudi patitur.
Illi sequi debent, quibus obsequium pro gloria reli-
ctum est, etiam si nihil addidisset, quam decantatum
illud: *Sic volo, sic inbeo, stat pro ratione, voluntas.* Nam &
hic disputare de principali iudicio non oportet, & sacrilegi in-
star est, dubitare, an in ista sint, quae praeceperit. *Principes. arg.*
l. 3. C. de crim. sacril. Hunc vero merito suo alto supercilium
despicunt, & Plauti pistrino potius, quam splendido do-
ctoris nomine dignum putant quotquot sunt emun-
chioris naris homines, si recitari semper ab eo verbale-
gis audient praeter ea que nihil addi, sed ad vulgatum
illud *IVLIANI* ex *l. 20. ff. de LL. non omnium, quae a ma-*
ioribus constituta sunt, reddi posse rationem, tamquam com-
mitine omnis ignorantiae palladium, quavis occasione
fese recipere videbunt. *Illi* igitur, quamvis bonus prin-
ceps nihil sine ratione disponat, in hac tamen pragmati-
carum suarum sanctionum ad subditos relatione edixisse
ita, & voluntatem suam exposuisse sufficit; *Hic* vero edi-
cta rite

clarite intelligere, & intellecta optume ex mente nomothetae interpretari, ac exinde demum de vero eorumdem pretio, & ad praesens negotium habitu iudicare ac decidere curae est cordique. Hinc porro intellectu facile est, posteaquam peregrinis legibus alligati viuimus, omnes illos in iure interpretando operam & oleum perdere, qui antiquitates Romanas, & magistratum apud Quirites successiones, veterum item Iurisconsultorum philosophiam, atque de iure respondendi modum, vna cum Imperatorum nostrorum politicis imperandi rationibus ignorant, & elegantiores hasce litteras, sine quibus verum legum sensum ne Oedipus quidem diuinabit, ad Criticorum duntaxat peculium, neutquam vero ad veram Iurisconsulti laudem pertinere arbitrantur.

§. III.

At enim vero tantum abest, ut, quod obrectatores legum harum faciunt, ineptire ideo legislatores nostros augustissimos, & dignitatis suae immemores ludi magistri sapientiam affectare statuamus, quin potius & hoc nomine eos reuereamur multum & suspiciamus, persicisci scilicet, nihil hic esse, cuius non reddi possit euidentis ratio. Nam cum antiquitus libera adhuc republika suaderi solebant, non pro auctoritate sanciri Quiritium leges, Imperatores postea, ne dominatum vbique affectare, & migrare plane pristinos mores curiaeque consuetudines viderentur, delati ad se summi imperii potestatem contra impatiens seruulis iugi animos velamine hoc aequitatis prudenter celare, & populo freна sua mordenti obduco hoc glaucomate vafre satis & astute persuadere voluerunt, quasi de pristica illa libertate nihil penitus

EXERCITATIO II.

tus amissum esset, nec tam princeps, quam ipsa re-
cta ratio, cui nemo, nisi insipiens, obsequi durum
sibi & molestum putat, ediceret ita, suaque placita
proponeret. (a)

(a) Sapienter itaque hic aliquid datum est populari genio,
ne legibus inimica plebs principi statim primo legis ob-
tutu Plautinum illud occinere posse: non reputat la-
boris quid sit, (*sc. obsequi & morem legi gerere*) neque aequum
anne iniquum, imperet, cogitat. Adeo enim forte
improbum non est, illud PLATONIS & ORIGE-
NIS: *Vulgus aliquando fallendum esse, modo suo fallatur bono.*

§. IV.

Qua quidem cautione licet LEO NIS aevo, qui
nec populo antiqui sui imperii memori, Romano scilicet,
imperauit, nec in ea tempora incidit, vbi triste ser-
uitutis iugum dulcedine imperii leniendum erat, vix
amplius fuisse opus, eumdem tamen morem hunc
a praedecessoribus suis constanter obseruatum sibique
traditum non migrasse eo minus miramur, quia &
nouitas omnis in legibus suspecta est, & ipse bonus
Imperator Philosophi nomen apud posteritatem adfe-
ctabat, sibique, quod omnes fere eius constitutiones
produnt, multum de eruditione sua placebat, eaque
ipsa testatum forte reddere cupiebat, verissimum fu-
isse suo aevo illud PLATONIS: *tunc demum felices fo-
re res publicas, si aut philosophi imperant, aut, qui imperant,
philosophentur.*

§. V.

Caeterum Germanorum libertas, summam il-
lud & antiquissimum indomitae olim gentis bonum,
idem

idem mihi exigere videtur, quod apud Romanos quondam popularis aurae & temperati regiminis memoria. Hinc nullum facile ex cancellariis nostris emancipari videbis principale edictum, quod non flosculis huiuscmodi philosophicis & argumentis suadendi insinuandique legem ornatum, ac multiplicibus ratiociniis calamistratum quasi sit. Quamquam, si verum illud **T E R E N T I I**, quod negare facile audebit nemo, *id in vita esse utile, ut ne quid nimis, etiam hic omnino istud NEOPTOLEMI apud ENNIVM: philosophandum, sed paucis! omnibus, quibus scribenda sunt sacra huiuscmodi programmata inculcandum, & cum cura tenendum erit.*

EXERCITATIO III.

OCCAS. NOV. V,

§. I.

An Testamentum condere possint coenobitae? quaestio fuit LEONIS decisioni a Patriarcha Constantinopolitano, Stephano, submissa, in qua decidenda ipse fere desudasse fatetur imperiali diadematè redimitus philosophus, (a) quoniam nimirum *quae heic subnata est ambiguitas, an constitutione facta monachos istiusmodi bonorum dominos designare oporteret?* an vero ipsos ab illorum dominio arceri conueniret, ut nubes rationis radios, quo minus ea res perspicue diadicari potuerit, subire & effuscare ipsi visa est. Operae itaque pretium erit, & quid

EXERCITATIO III.

14

quid iuris ante LEONIS tempora circa hanc contro-
uersiam obtinuerit, & quid ipse postea disposuerit, &
quid praxi hodierna forte obtineat, paucissimis ex-
ponere.

(a) Forsan omnes illae Leonis curae inde natae sunt,
quod praeuidere poterat callidissimus princeps, in quam-
cumque partem sententia sua inclinet, aut veritatem, aut
monachorum collegia se offensurum fore. Quod ultimum
sane metuebat merito, rem habens cum Clero, vel saltim
cum Cleri appendice. Clerici enim antiquitus non
fuerunt ἀστύοι sectantes l. 52. C. de Episcop. & Cleric.
c. 2. C. 16. qu. 1. quod, vt alia omittam, vel inde pa-
tet, quoniam 1) communicantes offerre debuerunt, vt
hoc testimonio suo comprobat HIERONYMVS apud
GRATIANVM c. 6. C. 16. qu. 1. & 2) peccantes eos
poena exspectauit ἀφορίσματα, cum contra in clericos
delinquentes ναθάπεσι fuerit statuta, denique 3) cle-
ricis coniugia fuere permissa, a quibus monachi ita ar-
cebantur penitus, vt vel coepit rite coniugium mo-
naisticae vitae professione soluendum fuerit. l. vlt. C. de
Episc. & Cleric. Nou. 5.

I. II.

Et disposuisse monachos antiquitus de bonis suis
omnime ex l. 13. C. de SS. Eccles. l. vn. C. Theod. de bon.
Cleric. & Mon. & euidentius adhuc ex Nou. 76. c. 1. do-
ceri possumus, sed, qui hanc consuetudinem postea
sustulit, IVSTINIANVS fuit, quem, vt ita sanciret,
mouisse legimus, (a) quod cum corpore & anima ipso in-
gressu ad monasterium, se suasque substantias DEO dedica-
re debent religiosi, adeoque domini harum vterius non exi-
stere possint. Hinc est, vt qui religiosae huius vitae
deliciis

deliciis capiebantur, siue yiri, siue mulieres, nec tam successione sua cognatos suos fraudari volebant, antequam *ātonītīgna* ingrediebantur de testamento condendo curam habuerint. (b) Postea vero IVSTINIANVS edita *Nou. 123. c. 38.* res quidem eius, qui monasterium intrauerit, liberis non exstantibus monasterio, quod ingreditur, addixit, de iis autem, qui liberos habent nec ante suscepit tonsuram debito modo bona inter eos diuiserunt, ita disposuit, ut etiam post susceptam monachalem cucullam inter liberos adhuc bona diuide-re possint, modo virilem sibi retineat pater, quae monasterio competat, quam deinde constitutionem suo calculo firmavit LEO noster, id addens, ut etiam quantum ad eas res, quae post coeptam vitam monasticam acquisiuit, de besse testamento statuere possit, triens autem monasterio applicetur.

(a) Falsum enim est, & *ānsoqētāv* arguit, quod pedarii interpres sibi persuadent, votum paupertatis, quod suscepto habitu monachali edere debent noui in his sacris castris tyrones caussam abrogandae huic confuetudini praebeuisse. Tale enim votum, quod tempore ferre IVSTINIANT in occidente in monte Cassino primus forsitan parturiuit almificus ille, vti passim audit, monachorum praceptor, Benedictus Nursinus, apud Pontificios in numerum diuorum relatus, in oriente tunc temporis, nonidum notum fuisse vel inde patet euiden-tissime, quod longe post IVSTINIANVM LEO noster edixerit, illum minus recte statuere, qui diceret, monasterium hoc solo nomine, quod monachus sit, omnia eius bona perceptu-rum esse, quod vero statuere rectissimum foret, si voto tali constricti tunc temporis fuissent Alcetae: quid quod integra haec nouella rem ageret inanem, si votum hoc

EXERCITATIO III.

hōc fam tum fūisset in visu: nām vbi votū paupertatis, ibi sāne cessat vterior acquīsītio, ergo & testatō mentis de vterius acquīsītis.

- (b) Id enim consiliī eis dedit Imperator *Nou.* c. 5. si nō luerint forte monasterium bona sua post mortem suam occupare, quod adhuc hodie inter Pontificios obtinet, quippe, apud quos nouitius prouti hereditatem ad heredes suos ab intestato transmittit, si, antequam solemnī professione facta in monachorum familiā recipitur, factō fungitur; *PEREZIVS in Com. ad Cod. L. I. T. 2. n. 18.* illaſtris *BOEHMER in Iure Eccl. p. III. T. 27. §. 18.* diſſentit tamen *ANDR. FACHINEVS Controv. Iur. L. VI. c. 19.* ita quoque supremas voluntatis suae tabulas recte scribere, & scriptas iterum reuocare, vel alio modo infirmare potest, quod vtrumque tamen post ſuceptam religionem ei nō amplius licet, primum quidem, quod, vt dictum, rerum, quas ante hauit, imposterum dominus non eft, alterum vero, ne per indirectum de bonis suis disponat; vt adeo ultima voluntas professione facta conualidetur omnimode, licet inſtituto non statim competat ius ſuccedendi post professionem, ſed mors testatoris expectanda omnino ſit ill. *BOEHMER. l. c. T. XXV. §. 19.* Utilitas quaefitionis huius ſane non contemnenda in eo ſeſe exferit, quod, quam diu viuit, testator, reditus eius bonorum per ipsum monasterio pleno iure acquirantur.
- (c) Adeoque ex hac diſpositione monasterium non tam ſuccedit ab intestato, quam ex tacita oblatione inter viuos facta eius bona acquirit; quae lex, vtpote clero fauorabilis, ad *Canonizatas*, vt vocant, pertinet, regiſtrata quippe in *Decreto GRATIANI c. 9. C. 19. qu. 3.* quamuis in Gallia & Belgio adhuc ius antiquum feruetur, quod non, niſi defiſcientibus legitimis consanguineis omnibus

III. OCCAS NOV. V.

omnibus ad successionem admittebat monasterium,
l. 20. C. de Episc. & Cleric. adeoque haec nouella aequa ac
inde desumptae authenticas si qua mulier aut vir & ingressi
monasteria C. de SS. eccl. ibidem ad LL. non receptas per-
tineat, vide DION. GOTHOFRED. in notis ad b. l. & au-
ctores a PEREZIO l. c. n. 19. laudati. Simile quid circa
non usum huius legis in Sabaudiae Ducatu obtinere de-
prehendimus, ubi monasterium ingrediens ei plus, quam
tertiam partem bonorum mobilium dare nequit, FABER
Cod. def. L. III. T. 2. def. 44.

§. III.

At enim vero haec LEONIS sanctio eō minoris
hodie valoris est, quod inuento paupertatis (a) voto, ad
quod postea religiosorum quilibet ipso solemnis in mo-
nasterium ingressus festiuo actu sacramento adstringi
coepit, quicquid rerum temporalium in bonis habent
homines, id omne iis eiurandum est, atque omni pro-
prietati aeternus nuncius mittendus, (b) hinc per conse-
quens sibi porro aliquid acquirere nequit monachus,
adeoque nec de eo testari. (c) c. 19. qu. 2. c. 7. cap. 2. X.
de testam: sed omne illud (d) quod acquirit, nulla habita-
ratione, quomodo illud acquirat, monasterio, in quo
vivit, & viuus & moriens relinquere tenetur. (e)

(a) Cum ab hoc voto res sit repetenda, Anachoretae vero,
sive Eremitae professionem non faciant, sed bonalibere &
acquirant & possideant, hinc eos saluum quoquis tem-
pore & integrum habere testandi ius prono aliueo fluit.

(b) Immo, qui contra hoc votum ex oblationibus vel re-
bus ecclesiasticis sibi proprii quid comparare vellent,
propter violationem voti, quo DEO & ecclesiae promis-

C

fa

EXERCITATIO III.

sa fuit paupertas, crimen sacrilegii committere dicuntur
a Canonistis, adeoque honeste sepeliendi non essent,
c. 2, X. de stat. monach.

(c) Quid quod nec velle amplius, nec nolle habeat monachus, posteaquam religiorum numero adscribi coepit, vt loquitur Pontifex in *c. 27. X. de Election. & Elect. pot. in VIto.* quod quidem effatum ita verissimum habent, & eo usque extendunt, vt nec Papa fieri posset religiosus sine consensu sui superioris. *ANT. FABER. l. c. L. I. tit. 2. def. 33. n. 3.* cuius rei memoratu dignissimum exemplum habemus in Petro Rainaluccio, ordinis minorum monacho, Pontifici Ioanni XXII. a iuste irato Imperatore Ludouico Bauaro, sibi nomine Nicolai V. pro auctoritate Caesarea legitime opposito, quem ordinis rector, seu generalis, (tam splendide enim res agitur monastica,) iussu suo eo adegit, vt honore triplicis coronae praeter omnem spem & opinionem adficitissimi Imperatoris iterum felē abdicari. *ALBERTIN. M V S S A T V S in Ludouico Bauaro ap. M V RATORIV M. T. X. p. 782.*

(d) Omne plane, praesens & futurum, operarum quoque obuentiones, & alia luera obtингentia, v. g. legata, donata, inuenta, adeoque etiam commoditatem vſusfructus & emphyteufeos priuatae, fideicomissa, & quidem ad vitam professi, quod speciali decisione illustravit *ANT. FABER loc. cit. L. VI. Tit. 22. c. 2. d. 26. p. 723.* licet hoc de fideicommissis familiae minus recte affirmaretur, *Ill. BOEHMER in iur. Eccl. L. II. T. 27. §. 26.* Immo acquirit monasterio suo ipsa immobilia monachus, si modo monasterium ipsum talium sit capax, qualia regulariter non sunt mendicantium, quippe quae ex decreto Francisci, auctoris sui, ne quidem in communi bona possidere queunt. Hinc est, cur monasterium ingresso ne quidem

in gratiam consanguineorum suorum hereditati renunciare licet, Ill. BOEHMER *l. c. L. III. T. 29. §. 19.* An autem ideo capitis deminutionem patitur, qui monachus fit? ita quidem videtur ACCVRSTO; mihi non idem, quia non omnis statusmutatio capitatis minutio est, & etiam ius legitimarum hereditatum monachis legibus relictum manit, *L. ultim. C. de Episc. & Cleric. iunge Iacob. CVIAC. in Exposit. ad nou. s.*

- (e) Immo licet aliquid proprii ex speciali archimandritae sui permissione interdum habere possint monachi professi; (quod etiam sibi ab initio reseruare possunt, dum ne per modum pacti id fiat, FABER. *in Cod. def. forens. L. I. tit. 2. def. 30. n. 1.*) tamen de eo cum effectu restari non poterunt, etiamsi in id speciatim consentire vellet superior, cum testamenti factio non priuati, sed publici iuris sit, *L. 3. ff. qui testamenta facere possunt nec nullius priuata conventione aut consensu eis indulgeri queat testandi licentia, quibus lege adempta est, arg. l. 6. pr. ff. eod.* Hinc maxume Equites militarium ordinum per indulta, qualia autem a Papa ipso, vel a summo Poenitentiario peti debent, non ab alio, FABER. *l. c. def. 33. n. 4.* sibi propicere solent, ut dispensatione circa testamenti factioem a voto liberarentur, quale quidem papale priuilegium Equitibus S. Iacobi de Calatrava & Alcantara in Hispania intuitu testamenti factiois a Gregorio XIII. Pont. max. anno 1576. concessum ex MENDONE *de ord. milit.* refert Ill. BOEHMER *l. c. Lib. III. tit. 25. §. 24.* quo quidem indulto ad disponendi has obtinendum adeo opus est, vt nec Episcopus, qui regularis est, testamenti factioem habere possit, nisi a voti sui religione liberum eum pronunciarit Papa III. BOEHMER *ibid. §. 16.* Hoc vero impetrato licita sunt omnia, cum de potestate sacrosanctae sedis dubitare sacrilegii instar sit. *arg. l. 5. C. de dñers. rescript.*

EXERCITATIO III.

OCCAS. NOV. VII. VIII.

§. I. I.

Apostasia ex mente iuris Canonici triplex est (a) **L**AN-
CELOTTVS in *inflit. iur. Can. L. IV. tit. 4. §. 14.*
 Non enim seltim qui agnitarū semel fidem Christianam
 abnegant, & ad nefarias Iudaicae vel paganae super-
 stitionis (b) ritus transeunt, Apostatae dicuntur; *arg.*
c. 24. C. 2. qu. 7. c. 4. X. de Apostat. Et reiter. *bapt.*
 verum referuntur etiam ii in hunc censum, qui quidem
 in fide catholica manent, sed praecepta, iussiones &
 decreta canonum negligunt, *arg. c. 23. dict. C. 2. qu. 7.*
 nec non ii, qui relicto clericali ministerio & ordine,
 quem suscepserunt, *e. 1. C. 3. X. eod.* aut statu obser-
 vantiae regularis, cui voto adstricti sunt, ad saecularem
 vitam transerint, adeoque fidem DEO & ecclesiae da-
 tam irritam faciunt. *c. 6. X. eod. c. 20. X. de regularibus*
Et transeunt. ad relig. c. vlt. dist. 50. Prior dicitur Apo-
 stasia perfidiae, altera inobedientiae, & tertia irregulari-
 tatis. Ultimam in praefenti exercitatione paucissimis
 euoluere propositi nostri ratio iubet,

(a) Alii quidem quadruplicem esse Apostasiam statuunt,
THOMAS in *diff. de desertione ordinis ecclesiastici* sed
 res ad idem redit, cum Apostasiam ab ordine sacro &
 a religione monastica, quam quidem nos pro una specie
 habemus, ut scilicet tradant.

(b) Si

EXERCIT

C 2

OCCAS. NOV. VII. VIII.

21

(b) Si quis igitur Pagana, Iudaica, vel Turcica sacra amplecteretur, aut, quod de magis olim credebatur, dummodo vere existat tale crimen, pactum cum diabolo ini-
ret, SCHILTER in Ex. ad ff. Ex. XXXVIII. th. 32. aut de-
nique repudiato omni veri Numinis sensu, ciurataque DEI
notitia, quatenus etiam naturaliter cognoscibilis est,
peruerfas Atheorum persuasions adoptaret, THOMAS.
in nov. ad Lancelot. L. IV. Tir. 4. n. 217. is denique ex sen-
tentia iuris Canonici Apostasiam committeret, neuti-
quam vero, si quis ab orthodoxa fide ad haereticos de-
fleceret. Vnde immane quantum errent, & a suis i-
psis dogmatibus recedant Pontificiorum Theologi, qui
nos, quos facta superioribus saeculis per Diuum LV-
THERVM sacrorum repurgatio a placitis Romanensi-
bus seiuinxit, Apostatarum nomine proficidunt tradu-
cuntque, tales namque non essemus, si vel maxime in
fide nostra, quod neutquam vero eis concedimus, er-
ratum quid esset, cum nemo Apostata sit, qui adhuc
in religione Christiana manet, neque sacram initiationis
Sacramentum profanat. Sed couincia haec ipsi dannant
quotquot sunt inter eos moderatores. Id vnum igitur
obiter hac occasione moneo, semper haec diuersa fuisse
a se inuicem, quicquid ex interpolata l. 3. C. de Apost.
adferant dissentientes, apostatam esse, & esse schismati-
cum, quorum illi quidem perdit & sacram baptismia
profanantes, hi rero lapsi sive errantes dicebantur. *dict.*
l. 3. C. de Apost. his poenitentibus succurrendum esse ad-
huc censebatur, l. 4. §. 6. C. de haeret. illis autem, qua-
lecumque etiam ob commissum scelus cordis contri-
tionem ostendant, numquam ignoscendum commissum
flagitium. *dict. l. 3. de Apost. l. 8. inf. C. de summa Trinit.* quae
faecit tamen, vti demum temporibus THEODOSSI,
cum iam multum deflexerant ab antiqua pietate Christia-

C 3

ni,

EXERCITATIO III.

ni, incrementa coepit, ita aequa improba, aequa peruersa, aequa Christiano nomine indigna est, quam varia illa poenarum crudelissimarum genera a peruerso Clero ad propagandam fidem Christianam, coercendasque haeretes posterioribus saeculis excogitata.

§. II.

Et quidem nascenti iam, vel saltim in meliorem ordinem redigi coepto monachatu eam legem dictam fuisse deprehendimus, ne, qui ad hanc viuendi rationem solemnii voto sese adstrinxit, ad saeculum denuo reuerti queat, quod ex natura voti suo iam aeuo deduxisse AVGVSTINV M, & tamquam insignem impiatem clericis suis, queis more monastico viuere persuasit(a), sub ipsius salutis aeternae iactura inculcasse, THOMASINVS P. I. de veter. & nou. eccles. discipl. L. 3. c. 3. §. 6. obseruauit, qua in re postea imitatorem habuit BENEDICTVM, vti illud ex HOLSTENO & NATALI ALEXANDRO probat illustris BOEHMER in iure Eccles. C. III. Tit. 31. §. 33.

(a) Hinc probabile omnino est, AVGVSTINV M neminem inter Clericos suos recepisse, nisi, quem hoc voto prius constrinxerat quam arctissime, quamuis hoc expeditum nondum aut decisum sit, primusne fuerit AVGVSTINV S, qui ad votum huiuscmodi suscipiendum obligauit alios, an potius iamiam ante ipsum forsitan ex instituto PACHOMII μοναχούσις haec religio tenuerit; mihi sane videntur haec vota AVGVSTIN o longe vetustiora.

§. III.

§. III.

Cum autem hi sanctissimi patres sub grauissima diuinae indignationis comminatione suos a desertione religionis monasticae arcere ita & deterrere niterentur, postea Iustinianus (a) Imp. temporalem etiam poenam iis dixit, qui facinus tale perpetrare auderent, experientia forte doctus, ita comparatam esse peruersam plurimorum hominum naturam, ut temporales magis multetas, quam aeterna supplicia reformident. Hinc monachum aequae ac clericum desertorem ordinis ecclesiastici, aut curiae cum omnibus bonis suis addixit, aut, si inops esset, ad officialem fortunam damnauit. l. 53. §. 1. C. de Episc. & cleric. nou. 6. c. 7. quam legem quidem postea quoad monachos iterum mutauit mitissimus princeps, & coenobitam abiecta stola sive tribonio ad saeculum abeuntem, si quidem prima vice commisisse tale apostasiae crimen deprehenderetur, memorem saltim esse iussit, grauissimam se DEO pro hoc scelere daturum fore satisfactionem, res autem, quascumque habuit, dum monasterium intrabat, ita dominii iure monasterio addixit, ut nihil penitus inde servare sibi potuerit apostata, nou. 5. c. 4. ipsum denique monachum desertorem episcopo ita commendauit, vt de novo monasterio mancuperet, & quicquid proprii imposterum acquireret, id nomine huic monasterio relinquare cogatur, ex quo demum rursus profilire ausus iudici prouinciae, in qua inuentus, ita addicatur, ut officialium numero adscribi seu connumerari (b) ab eo possit. nou. 123. c. 42.

(a) Primus

EXERCITATIO III.

- (a) Primus non fuit IUSTINIANVS, qui ita coercendam duxit sacri ordinis desertorum impietatem, sed fecisse illud iam ante eum ARCADIVM & HONORIVM ipsomet profitetur *dict. l. 53. S. 1. C. de Episc. & Cler.* nil ideo hec IUSTINIANO tribuendum est, quam quod in usum reuocauerit legem contraria consuetudine obliteratam.
- (b) Ita loco vocis *commonat*, quae in vulgaribus Corporis iuris exemplaribus h. l. deprehenditur, legendum, atque poenam monacho desertori dictam interpretandam esse, vel solum, quod in originali deprehenditur, Graecum vocabulum *συναρχητέων* monet, poenae enim species interdum erat, corpori alicui addici; Quod vel ex *l. 2. C. de apparit. Praef. Vrb. L. XII. tit. 54. colligas*, ybi vetitum, ne Urbanicani, id est, officiales seu apparitores praefecti Vrbi, qui pecuniam publicam ex arca frumentaria pistoribus frumento publico emendo adnumerant, eos concutiant, sub poena, ut concussores huiusmodi corpori pistorum perpetuis nexibus ad dicantur. Sic etiam Christianos ab impiis principibus poenae loco curii addicatos fuisse testatur CASSIODORVS *l. Tripartitae 9. & 6. c. 7. BARNAB. BRISSON. Antig. IV. 18.* Diximus autem interdum huiuscmodi addictionem poenae speciem fuisse, in vniuersum enim verum hoc non est. Sic cum omnis poena deteriorem eius, qui punitur, non meliorem conditionem facere debet, non sic poenae specie cohortales addicentur curiae, *l. 38. C. de Decur.* *L. X. tit. 31.* vel suarius pistriño *l. 19. C. de poenis*, quia hoc genere poenae rei conditio deterior non redderetur.

§. IV.

Sed iniquior visa fuit haec poena LEONI Imperatori,

ratori, quam quae probari suo calculo posset. Sicuti enim ipsum monachatum pro saeculi sui superstitione ceu coelestem militiam suspexerat, ita non poterat non improbare, vt receptus semel in diuina castra & sacris DEO militantibus legionibus addictus in mundanis militiis collocetur de nouo. Qua in re ex principiis persuasionis illius, in qua educatus fuerat optimus princeps, non adeo ineptum est eius ratiocinium, vitam monasticam non exui, nisi ab eo, qui mundanae voluptatis oestro percitus, huic igitur longe durius fore, arctioribus pristinae vitae cancellis iterum mancipari, quam recipi ita in profanorum statum, & adscribi cohortalium coetui, immo monachos claustralem vitam fastidientes magis hoc ipso poenae genere ad delinquendum inuitari posse, quam a tali crimine deterreri, cum enim scian, tentato secunda vice flagitio viam sibi certissimam ad saeculi illecebras aperiri, eo magis id nunc acturos fore homines perditissimos, vt quod semel quidem irritum factum, consilium nouo inquiratis molimine tandem ad opatum scopum perducant, hinc imperiali edicto sanciuit, vt profugus monachus quoquis tempore (a) monasterio ex quo improbe aufugerit inuitus etiam reddatur.

(a) Est enim & apostasia ex illis delictis, quibus praescribitur numquam. I. 4. C. de Apostat. quoniam quam diu vivit Apostata delictum non dum est consummatum, sed tota die reputur, praescriptio aut minumquam currit crimen nondum absoluto.

EXERCITATIO III.

§. V.

Atque hoc quidem iure adhuc hodie suo quodam modo vititur Romana ecclesia, licet seuerius animaduerti soleat in huiuscemodi Apostatas, qui ordinem deferunt, ob criminis atrocitatem, quam ut sola mancipatione & retraditione profugi monasterio facta tale expiari possit scelus, iisque easdem fere poenas sentiant, quae haereticis dictae sunt. Qui vero religionem monasticam exuunt, perpetuo carceri includi solent, CORVINVS in *instit. iuris can. L. IV. tit. 9. §. 8.* nisi aliquis ex insta caussa, (a) nec priuato ausu, sed impetrata a Pontifice dispensatione ad saeculum transiret. Cum & hic Papae approbatio, consensus & auctoritas, quae quadrata rotundis aequare, & quocumque velit, sanctum facere potest, Ioh. DAMHOVDER in *praxi rerum Crim. c. 61. n. 67.* omnino id efficiat, ut talis Apostasia extra crimen sit. (b)

(a) Tales caussae, cur aliquis a vita sacra & ascetica recedere possit, variae esse queunt. Pontificii etiam hoc eum casum referunt, si quis quasi per vim & impressiōnem metum reuerteret, & ante legitimos annos, professionem emisisset. c. 8 & 9. C. 20. qu. 1. diximus autem vim hic aut metum concurrere debere; regulariter enim, qui a parentibus monasterio sunt traditi, aequo permanere ibi debent, quam, qui propria professione se monasterio manciparunt. c. 2. seqq. dict. C. 20. qu. 1. coactio vero absoluta impedit obligationem. dict. c 9. C. 20. qu. 1. c. 3. X. de baptism. & eius effectu. c. 14. X. de sponsal. & matrim. Inter magnates & illustres personas licitae huiusmodi apostasiae exempla adhuc hodie interdum

terdum occurrere solent, cum primis quando ad suscipiendum regimen & tutelam aitorum territoriorum ex ordine successorio vocantur. Nec desunt, qui lautissimas praebendas ecclesiasticas, immo ipsam cardinalitatem dignitatem resignarunt, & postea saeculares facti in acquisitis a maioribus suis principatibus successere, quam quidem dispensationem eo facilius promptiusque Pontifex maximus tunc potentibus impetrare solet, si ex edicto successorio forsitan aliis quispiam dissidentium a Romanensibus sacrorum propugnator vocaretur, qui vero per has Sedis Apostolicae indulgentias excludi adhuc ab agnato Catholico posset; nam & hic merito Vicario Christi cura incumbit, ne quid Christiana religio detrimenti patiatur, aut gliscenti haereti latius sepe extenderi infelix occasio detur; & quae sexcenta alia huiuscmodi commenta esse poterunt. Immo, licet ut sacrilegus capitali poena plecti debeat, quisquis vel atten-
tare lastim sacras virgines matrimonii iungendi causa ausus fuerit. *I. 5. C. de Episc. & Cleric. quae inter canonizatas est per c. 3. C. 36. qu. 2.* & qui vel volentem monialem matrimonio sibi copulare tentauerit, pro tam nefandissimi criminis atrocitate ex decreto Symmachii Papae a sacra communione suspendendus sit. *c. 2. d. C. 36. qu. 2.* ipse tamen, quisquis fuerit, Pontifex, siue Lucius III. siue Urbanus III. forsitan ne Tancredus Siciliae regno potiretur, Constantiam, Rogerii regis filiam, velatam iam atque DEO legitime consecratam, e monasterio Panormitano eduxit, & Henrico VI. Imperatoris Friderici I. Barbarossae filio, hac conditione, ut virtusque Siciliae regnum dotis nomine vindicaret, thori sociam adiunxit, modo fabula vera sit, quam NICOLAVS SPECIALIS & RICORDANVS MALESPINI, grauissimi scriptores, vna cum PLATINA nobis narrarunt, BARONIVS contra T. XII. Annal. ad D 2 a. 1186

- a. n^o 86. n^o 25. p. 803. vt falsam explodere voluit. Quicquid autem sit, nihil hic fecisset Pontifex, quod facere non potuisse, si verum est decantatum illud Canonistarum brocardicum: pontificem nullis plane legibus teneri.
- (b) Quare & is, cui ita de monasterio vel sacro ordine exire conceditur, monachus numquam fuisse videtur, hinc omnia iura per monachatum amissa quasi iure postliminii recipit, adeoque & hereditatem atque bona paterna recuperat, vt id exemplo monialis cuiusdam factio iterum restitutae comprobat, & latius deducit ANT. FABER, in Cod. Decif. L. 1. T. 2. def. 32.

§. VI.

Placet huic argumento quasi colophonis loco quaestione non ignobilem subiungere, an Senatus consultum de fugitiis ab interpretibus recte etiam extendatur ad monachos fugitiuos, adeo ut abbas hoc persequendi remedium erga receptatores eorundem de iure instituere possit? Et non posse illum de iure ad Protestantium sacra abeuntes monachos suos vindicare, vel ad priora claustra inuitos obtorto collo rapere, multo minus autem statui cuiquam imperii, qui illos in tutelam suam reciperet, in superioribus dicasteriis item ideo mouere, inde satis superque patet, quia ex decreto pacis religioae & Osnabrugensis cuius in imperio Germanico viventi integrum est, a.) transfire ad cuiusvis ex tribus illis toleratis religionibus castra adeoque illud amplius poenae non subiacet, spretis tenebris micantissimum Euangelii lumen sequi; Sed licet haec in thesi sint verissima, infelices tamen eos putarentur

rem, qui casu forte iterum in manus e quibus ita aufugere voluerunt recidunt, quoniam, quod facile credendum, et hic omnino ira fortior admotas has rationis habenas spernet facile.

- (a) Immo hoc ipsum postulare decantatissimum illud *reservatum ecclesiasticum*: quis non videt? nam & ad monachos hoc quicquid est privilegii recte extenditur.

EXERCITATIO V.

Magno odio expositas antiquitus fuisse secundas nuptias, res est eruditis omnibus notissima. Dixerunt eis poenas varias non patres tantum ecclesiae, verum & ipsi imperantes a) improbarunt eas multiplicibus parum honorificis elogiis, immo diris fere deuouerunt, quod praesenti hac exercitatione paucissimis enodare lubet.

- (a) Sed caue confundas ratiocinia, quibus ab utraque parte oppugnatae fuere secundae nuptiae. Legislator enim nosser **IUSTINIANVS**, aliaeque integrae gentes secundas nuptias cohibent ex politicis rationibus, quod tristissimi exemplis edocemur, quantum & patrimonii & amoris atque indulgentiae decrementum fæpe sentiant prioris coniugii liberi, si accensis tædis nuptialibus vel trux aspectu vitricus, vel iniusta nouerca ad ædes suas deducitur; hinc adeo absurdâ non est legum nostrarum philosophia, *contristari procreatam sobolem secundis*

EXERCITATIO V.

secundis parentum suorum matrimonii, *Nou. 22. c. 20. §. 1.* & eum duntaxat liberos amare, qui ad ulteriora vota non transire, *l. 2. §. 3. C. de sec. nupt.* quippe quibus exhortoretur multum prioris tori sfooles, *dicit. Nou. 22. c. 23.* cum mulieres non solum res filiorum nouis maritis, sed etiam vitam addicere soleant, *l. 22. C. de adm. tut. vel curat.* & parentes nouer- calibus instigationibus delinimentisque corrupti plerunque maligne circa sanguinem suum iudicium ferant, *l. 4. ff. de inoffic. test.* Patres contra ecclesiae, licet non ex falsa illa & recentiori quorundam haeresi, quam IOANNES DE NEVIZANIS in sylva nuptial. *L. 2. num. 31.* & 32. refert, ac si nimis secundis nuptiis anima defuncti coningis contristetur, tam ex erronea plane & falsa hypothesi scrupulum iniecerit secundo nubentibus, rati videlicet, sibique ob adfectatum continentiae studium, cuius in fuga nuptiarum maxima sanctitas posita erat, firmissime persuadentes, impudicas plane & Christiano homine indignas esse secundas nuptias, qui sicuti unum DEVUM, ita etiam unum matrimonium colere debeant TERTULLIAN. *L. 1. de monogamia,* hinc & factum, vt eas, tamquam quae multum fidei detrahant, multumque sanctitati obstrepant, passim debilitatem, incontinentiam, dedecus voluptuosum immo honestam fornicationem, stuprum & speciosum adulterium, dixerint quod IOANNES CHRYSOSTOMVS *C. 31. qu. c. 9.* & edictum illud ATHENAGORAE: ὁ δε γέρος γάμος ἐντητήτης ἐσι ποικίλεια, vt breuitatis studio de aliis testimonis coaceruandis otium nobis faciamus, eidenter probant. Quamvis ingenue fatendum, I) vti in aliis, ita & hic non eandem semper ecclesiae patribus sedisse mentem, & fuisse, qui maledico hoc dente in censendis secundis nuptiis carere omnino, quorum unum saltim diuum HIERONYMVM nominabo, qui praeter ea, quae in *C. 27. qu. 2 c. 13.* super hac quaestione disputata ab eo legimus, ita ad Pammacium: *non damno inquit, bigamos, immo nec triga-*

mos

mos, & si dici potest, ocligamos. Idem ego, pergit, nunc voce
proclamo libera, non damnari in ecclesia bigamiam, immo nec tri-
gamiam, & ita licere quinto & septimo & ultra marito nubere.
Quam sententiam etiam decreti compilationi inseruit
GRATIANVS C. 31. qn. 1. c. II. & cum qua egregie con-
spirant, quae ibidem c. 12. & 13. ex AVGVSTINO pro-
fert. II.) Non eundem semper ab iisdem ipsis, quos nu-
ptiis secundis tantopere aduersos fuisse hinc inde depre-
hendimus, obseruatum fuisse rigorem, sed, quod in
aduocatis alias carpere, solent viri boni & graues, aut for-
sitan (si modo id citra iniuriam de hominibus tanto san-
ctitatis odore, seu potius pietatis praesumtione orbiter-
rarum & posteritati commendatis cogitari poterit,) ca-
lamo venali usos esse, aut sane numquam ita in suas iurasse
sententias, vt religioni sibi cluxerint, prout res vel oc-
casio tulerit, iterum ab iisdem recedendi. Saltim IO-
ANNEM CHRYSTOMVM longe cautius locutum esse
cum alibi, tum potissimum in epistola quadam ad vidu-
am iunioren de non iterando coniugio, ibique secun-
dum matrimonium fornicationem esse perspicue negat,
obseruarunt iam erudit*i*

§. II.

Equidem poenas ciuiles, quae frequentes tum in
Codice, tum in Nouellis Justinianeis occurrunt, heic non
tangam, reseruandas potius alii occasioni & liberiori
paullulum otio. Ecclesiastica erit, ad quam commen-
tari me iubet in fronte huius exercitationis laudata LE-
ONIS nostri constitutio, qua si umquam alibi, certissime
sane prodidit LEO, facilius saepe hominibus eruditis esse
pulcre de virtutibus philosophari, quam, quae re-
sta

EXERCITATIO V.

Ita ita & laudabilia cognoscit eorum intellectus, sequi sponte, & constanti ac perpetua voluntate peragere. Imponit enim hac imperiali sanctione tertio nubentibus poenam a.) sacri Canonicis b.) obtumus princeps, ratus, eos, qui saepius ita Hymenaeo litant, rem plane agere turpisimam atque hominis mente ac ratione praediti praestantia adeo indignem, ut vincatur plane a brutis nonnullis coniugis mortem perpetuo moerore dolentibus, exemplo forsitan a torture deducto, quod, num verum sit, naturae mystis & scrutatoribus disputaere lubenter relinquamus, nec enim nostri fori esse in hoc inquirere facile intelligimus. Sed vtut haec scribens, sequi ea, quae spiriti placent, elatus sapientia sua Princeps sibi persuaserit, omni tamen philosophiae sua & cognitionis rectitudine tantopere animum, qui natura sua facillime nititur in vetitum, & semper cupit negata, refrenare non potuit, quin ipsem ad quartas usque processerit auptias, c.) adeoque calculo suo probarit, etiam prudentibus id contingere posse, quod de Medea poeta cecinit, ut videant meliora probentque, deteriora sequantur.

(a) Et hic lapsus Ecclesiae animaduertere liceat. Cum enim quondam Nouatiani, Montanistae, Cataphryges, aliique, quos de haeresi damnauit purior Christianorum coetus, in puniendis iis, qui secundis votis thalami confortem quaesierant, longe severiores essent, immo nequidem amplius cum iisdem communicare voluerint, id ansam praebuit Patribus Nicaenis, ut quosunque ex feticis Nouatianorum ad orthodoxam ecclesiam redeentes clero non prius adscribi passi fuerint, quam expressis verbis

verbis promisissent, secum secundo nubentibus communionem imposterum seruaturos.

(b) Intellige *Can. 3. & 7. NEOCAESARIENSIS SYNODI*, qui canon exstat in *c. 8. C. 31. qu. i.* Grauiter quidem hoc edictum in **LEONE** improbat **ALBERICVS GENTILIS**, grauissimus sane & eruditissimus suae tempestatis Iuris Consultus, in libris suis *de nuptiis* mira rerum ac argumentorum elegantia & haut vulgari eruditione scriptis. Sed non est, cur succenseat optumo Principi **GENTILIS**. Neque enim **LEO** solus fuit, qui tertias aut quartas nuptias improbavit, sed fecere id iam ante eum tum alii imperantium, quos inter etiam eius parens, **BASILIUS MACEDO**, de quo in iure Graeco Romano constitutio exstat, qua expresse dicitur, *ut quartae nuptiae non solum pro nullis habeantur, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoscantur, verum ut ipse, qui eas contrahit, poenis pollutorum scortationis foribus subiiciatur, eiusmodi videbitur personis a se iniacem separatis, tum praecipue ecclesiae patres, vt, cum ex horum mente haec omnia scripserit, folius vapulare a viro doctissimo non debuerit.*

(c) Vixerat in sterili connubio **LEO** cum tribus prioribus augustis vxoribus. Sed valde flagrabat desiderio procreandae sibolis, hinc quartam toro induxit coniugem, existimans forsitan, licere sibi, quae lubent, omnia, & Imperatorem se esse, qui alias quidem leges dare possit, iis autem teneatur neutquam. Sed aegre hoc tulit **Nicolaus**, Patriarcha Constantinopolitanus, & pro ea, quam tunc temporis iam, pessimo exemplo, sibi sumferant, viri ecclesiastici potestate, Augustum sacris interdixit, quod vero prorsus impune non tulit summus sacerdos, proscriptus ideo a **Caefare**, qui injuriam hanc

E

&

EXERCITATIO V.

& intempestiu zeli nouitatem grauiter, vti par est, atque moleste tulit, eoque magis iustissima indignatione brutum Patriarchae fulmen spernere poterat, cum nihil hic contra diuinas leges & perpetua sacrae paginae edita commissum a se fuerit. Reim omnem fuius narrat CONSTANTINVS PORPHYROGENNETA in quadam nouellarum suarum ap. IOANNEM LEVNCLAVIVM in *Iuris Graeco-Romani Tom. I. p. 103.*

§. III.

Neque vero sequentibus saeculis ab hoc erga secundas nuptias odio adeo recesserunt prorsus Romanenses, vt amplius plane nulli eius effectus adhuc hodie occurrant. Hinc non solum ex laudato supra can. 3. et 7. CONCILII NEOCAESARIENSIS id inter eos feruatnr, vt interesse non possit conuiuio secundarum nuptiarum presbyter, (a) verum ex decreto VRBANI III Pontificis c. 3. & de secund. nupr. etiam hierologia et sacerdotali benedictione (b) priuantur secundo nubentes, ipsumque secundum matrimonium sacramenti defectu laborare dicitur, quia unitas ecclesiae vni Christo est subiecta, bigamus contra carnem suam in plures diuisi. Immo, quod iam in spuriis illis, quos vulgo Apostolicos nominant, canonibus c. 16. prouisum (c) qui post baptismum duabus implicitus fuit nuptiis - - - is episcopus, aut presbyter, aut denique in consortio sacerdotali esse non potest. (d) Inter Protestantes autem nihil tale obtinet, et pari honestate secunda, tertia, quarta et ulteriora matrimonia contrahuntur, ac quidem initum fuit primum.

(a) Idque

EXERCITAT. NOV. XC.

39

- (a) Idque ex ratione a sacris Senatoribus addita est etiam ad
votum, id est, quod ex ea causa est, quod ex parte pietatis et
meritum, non ex parte personae.
- (b) Quod iterum ex ratione plane inepta constitutum, quia
cum semel benedicti fuerint, huiusmodi benedictio iterari non debet.
Quod satis & ex merito perfrinxit ZIEGLERVS in or. ad
Lancellortum L. II. tit. 16. §. 26. dum non personis tantum, sed i-
psi coniugio benedicatur, nec personae antea benedictae
talis benedictionis vis inhaereat, quae alteri statim com-
municari possit, quemadmodum virtus aquae benedi-
ctae ad aquam non benedictam per solam confusione-
m transfit. Sed talis est vniuersa fere Iuris Canonici philo-
sophia, ut semper ibi frigida pugnent calidis; humen-
tia siccis; mollia cum duris; sine pondere habentia pon-
dus.
- (c) Id quod etiam repetitum c. 1. dist. 33. Sed inquis, cur ver-
ba adduntur, post baptismum? responsum cape ex C. 2.
Dist. 26. quia in baptismate peccata omnia dimittuntur, adde e-
tiam ad hunc rigorem eo melius cognoscendum totum
titulum X. de bigam. non ordin. & l. 3. §. 4. C. de sum. trinit.
vbi inter alia Irenaei crimina etiam recenseri videbis,
quod post binas nuptias apud Tyrios Episcopus fuerit fa-
ctus. Paganizat autem, quod pace sedis Apostolicae di-
xerim, institutum hoc. Nam Pontifex Maximus et
Flaminica nubebant semel. Cereris sacerdotes viuen-
tibus etiam et consentientibus viris amica separatione
viduabantur. TERTUL. dist. lib. de monogam. et fortunae
muliebri coronam non imponebat nisi vniuira, sicut nec
matrimatuae.
- (d) Argumento desumpto a sacerdotio Iudeorum, Leu. XXI
14. quod dictum tamen ad Pontificem maximum saltim
refiri-

36 EXERCITAT. V. OCCAS. NOV. XC.

restrictum esse voluit sanctissimus legislator, ut id etiam
perpetuo ita cibseruarunt Iudei, SELDENVS de muliere
Hebr. L. I. c. 7. Non autem video, cur adeo seuerae sint
leges, vt, qui viduam duxit, vel repudiatam ab alio, vel
defloratam a sacerdotio arceatur. *Nou. 6. c. 1. §. 3. Nou.*
22. c. 42. & quae inde sumpta est anch. multo magis C. de Episc.
& Cleric. Nou. 121. c. 1. pr. nou. 137. c. 2. adde etiam ex
GRATIANI Decreto c. 2. Distr. 33. c. 12. Distr. 34. c. 8. Distr. 50.
c. 3. & 7. X. de Bigam. non. ord. praelertim miror iuris Canonici dispositionem quoad defloratam ab alio, eamque
eo magis miror, cum tantum sacratissimi Pontificis rigorem erga deurginatas & compressas mulierculas, vel
potius innocentes earum, si quos forte inueniunt, mari-
tos, in iis Legibus, quae alias meretricem & lupunari
extrahere & vxoremducere ad opera charitatis cum
promissione remissionis peccatorum referunt. c. 20. X.
de spons. & mar. vix ac ne vix quidem quaeferit aliquis.
Sed manuum de tabula. O felices nos, immo felicissi-
mos, qui adferti per DEI gratiam purioribus sacris crassis
haec philosophemata tuto ridere possumus.

FINIS SPECIMINIS I. EXERCITATIONVM
AD CONSTITUTIONES NOVELLAS IMP-
ERATORIS LEONIS PHILOSOPHI.



00 A 6454

ULB Halle
002 935 880

3




sb.

VDRX



B.I.G.

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

EXCURSIONES IN ARGUMENTA NONNVLLA

EX VTROQVE IVRE

INTER TVMVLTVARIAM LECTIENEM

NOVELLARVM QVARVM-
DAM IMP. LEONIS DICTI
PHILOSOPHI

INSTITUTAE

ET

EX DECRETO MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE
OBTINENDIS

AD DISPVTA NDVM PROPOSITAE

A

CHRISTIANO LVDOVICO SCHEIDIO

A. D. VII. SEPT. CID IC CC XXXVII.

GOTTINGAE,
APVD J. C. L. SCHVLTZIVM,
ACAD. TYPOGR.

